

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3795

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Évreux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1275, juillet

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, concède et confirme à l'évêque Philippe et au chapitre d'Évreux la rente annuelle de 250 livres tournois qu'ils ont achetée aux religieuses de Notre-Dame-la-Royale près de Pontoise (Maubuisson) pour 16 livres et 2 sous tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 856, p. 201.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus, universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum religiose mulieres abbatissa et conventus beate Marie Regalis juxta Pontisaram olim haberent, ex dono et concessione inclite recordacionis precarissimi domini et genitoris nostri Ludovici, regis Francie, ducentas et quinquaginta libras annui redditus assignatas eisdem in rebus et possessionibus infrascriptis : videlicet in nongentis septuaginta octo et dimidia acris et quadraginta tribus perticis terre sitis apud Longammaram, in parrochia Sancti Xpistofori, traditis pro centum nonaginta quatuor libris et quindecim solidis turonensibus ; item in quadraginta tribus acris, sitis apud Montem Tiboudi, traditis pro sex libris et quindecim solidis turonensibus ; item in centum et quadraginta septem acris et una virgata sitis apud L'Ouraille, traditis pro decem et octo libris, octo solidis et duobus denariis turonensibus ; item in sexaginta quinque acris sitis apud Desertum, traditis pro tresdecim libris turonensibus ; item in octoginta acris et dimidia, sitis apud Maras juxta Quercum, traditis pro sexdecim libris et duobus solidis turonensibus, cum domo, herbergamento, retenta tantummodo justicia corporum hominum et membrorum in premissis ; ac postmodum, accedente ad hoc consensu predicti genitoris nostri, per emptionem inde factam a Johanne quondam episcopo et capitulo Ebroicensi, predicta ad Ebroicensem ecclesiam sunt translata, tenenda in posterum sub eisdem libertatibus, condicionibus et juribus sub quibus idem genitor noster ea dictis monialibus concessit, nos, justis petitionibus dilecti et fidelis nostri Philippi Ebroicensis episcopi grato concurrentes assensu, ac in premissis justiciam corporum hominum et membrorum nobis et nostris successoribus retinentes, concedimus eidem Ebroicensi ecclesie et episcopis qui presidebunt in eadem, quod a custodibus regalium qui pro tempore fuerunt (sic, l. : fuerint), aliquod nomine regalium non levetur seu recipiatur de terra suprascripta ; sed quidquid ibi obvenerit pro porcione in ipsa terra episcopum Ebroicensem contingente, futuris pontificibus reservetur. Decernimus etiam oblationes capelle Sancti Mauri manerii episcopalis de Berneuvilla ad regalia nostra vel

successorum nostrorum minime pertinere. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo CC^o septuagesimo quinto, mense julii.